

Scansion

Practice

Lines 142 – 156

(Neptune calms the storm)

Sīc ait et dictō citius tumida aequora plācat

collēctāsque fugat nūbēs sōlemque redūcit.

Cŷmothoē simul et Trīton adnexus acūtō

145 dētrūdunt nāvīs scopulō; levat ipse tridentī

et vastās aperit syrtīs et temperat aequor

atque rotīs summās levibus perlābitur undās.

(well known simile)

Ac velutī magnō in populō cum saepe coōrta est

sēditio saevitque animīs ignōbile vulgus;

150 jamque facēs et saxa volant, furor arma ministrat;

tum, pietāte gravem ac meritīs sī forte virum quem

cōspexēre, silent ar rēctisque auribus astant;

ille regit dictīs animōs et pectora mulcet:

sīc cūctus pelagī cecidit fragor, aequora postquam

155 prōspiciēns genitor caelōque invectus apertō

flectit equōs currūque volāns dat lōra secundō.